filii amon regis iuda, prophetauitque in imperio eius annis decem et nouem.
et postea sub ioacim filio eius annis undecim. et sub sedechia qui ultimus fuit
regum iuda annis undecim. usque ad quintum mensem quando a babylonis
capta est hierusalem; Ioachaz uero et iechonia ter ni menses quorum alter
in aegyptum. alter cum matre ductus est in babylonem. in supradictis annis
conputantur; ac per hoc ab exordio prophetiae suae usque ad captiuitatem hierusalem
in qua et ipse captus est. prophetauit annis quadraginta et uno. praeter illud
tempus quando ductus est in aegyptum. ibique prophetauit in taphnis. in hoc
ipso uolumine continetur; pro uerbi hieremiae. septuaginta posuerunt
uerbum dei quod factum est ad hieremiam. hoc uidelicet sensu quod uerba
hieremiae uerbum sit domini; fuit autem de genere sacerdotum qui habi
tabant contra septentrionem hierusalem. in tertio miliario et uiculo
anathoth; Simulque admirabilis clementia domini quod iam captiuitate uicina.
et babylonia exercitu uallante hierusalem nihilominus populum ad paenitentiam
tentiam prouocat. malens saluare conuersos quam perdere delinquentes;
pro transmigratione quod omnes alii uoce consona transtulerunt.
lxx posuere captiuitatem. post exordium autem uaticinationis hieremiae
tricesimo quinto profetiae eius anno hiezechiel in babylone his qui cum eo
capti fuerant exorsus est prophetare; Et factum est uerbum domini ad me di
cens; priusquam te formarem in utero noui te et antequam exires de uulua
sanctificaui te. Non quod ante conceptionem ut heresis suspicatur fuerit
hieremias. sed quod praescierit eum futurum dominus. cui nec dum facta iam
facta sunt; secundum illud quod apostolus loquitur; qui uocat
ea quae non erant quasi ea quae essent; Quod autem sanctificatur

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc417/0013